



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXX. Argumentum. Traduntur plures denominationes, ac definitionis Virtutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

pis reperta ad Judicem cum duobus saltem testibus deducere, querelam de damnis datis contra eorum dominum intentare, deinde in stabulum publicum illa reponere, donec Judex Justitiam faciat, sic enim constabit de corpore delicti, de damno & injuria sibi illatis. Speculator lib. 4. de injur. §. Sequitur, num. 19. Tondut. dict. part. 2. resol. civil. cap. 140. num. 11. & Juris ordine servato habebit, quod sibi debetur. Si quidem in puncto juris non licet hæc animalia sibi retinere, ut in terminis docet Bossius in tit. de Damni. dat. num. 10. Alciat. de Præsumpt. reg. 1. Præf. 50. Julius Clarus in addit. lib. 5. §. fin. quest. 82. num. 15. & 16. Vel vicinim poenitens ob expensas, vel alia gravia incommoda recusat id facere, & tantummodo petit, sibi responderi, an in conscientia teneatur restituere dicta animalia; & tunc cessante periculo scandalii, vel lationis alterius personæ, quæ forsitan de furto, vel de abigeatus crimine accusetur, eidem responderi poterit, ad restitutionem non teneri, si tanti valeant animalia, quanti damnum illatum. Diana dict. tom. 6. tract. 3. resol. 149. & 150. Cardin. de Lugo dict. disput. 16. sect. 5. Lessius de Justit. lib. 2. cap. 15. num. 58. Castropal. tom. 7. disput. 1. punct. 17. §. 3. num. 6. Vasquez de restit. cap. 5. dub. 9. & Rebell. dict. lib. 2. quest. 18. num. 6. & 7. ubi subdit, quod dummodò plus surreptum non sit, quam debeat, compensans non sit obligatus ad restitutionem, estò quod peccaverit, Jus sibi ipsi dicendo. Verum tamen est, quod si Dominus animalium paratus sit rescire ea detinenti omne dampnum, & expensas, teneatur ea Domino restituere. Menoch. de Recuperand. posses. remed. nono num. 282. Farinacius de Furtis quest. 175, num. 136.

D E C I S I O LXXX.

A R G U M E N T U M.

Traduntur plures denominationes, ac definitiones Virtutis.

S U M M A R I U M.

1. Virtutis nomen quid significet?
2. Exorcismorum Ecclesia Virtus.
3. Herbarum Virtus ad sanandos morbos.
4. Virtutis definitio.
5. Opus Virtuosum ut sit, quid requiratur?
6. Medium duplex, aliud Rei, aliud rationis.

PETITUM fuit: Quid sit Virtus? & quæ requirantur, ut opus aliquod sit Virtuosum? Præmiserunt pro resolutione primæ partis Quæsitum, Nomen Virtutis diversas habere significationes; siquidem Primo significat robur, & potentiam. In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Psalm. 88. Dextera Domini fecit virtutem. Psalm. 117. Secundo denotat operationem aliquam mirabilem, in suetam naturæ, & miraculosam, quæ potest resultare ex verbis, ex herbis, & ex lapidibus. Quamvis enim Plinius lib. 28. cap. 2. scripserit, Maxima quæstionis est, & semper incerta, valeant ne aliquid verba, & incantamenta carminum? & Socrates, quem citat Balthasar Bonifacius in Ludier. Hist. lib. 14. cap. 6. dixerit, Incantationes sunt Verba animos decipientia, juxta spei, vel timoris conceptionem: Et Martin. Delrius Disquisit. Magic. lib. 3. quest. 4. sect. 7. & seqq. ostendunt, plurima superstitio-

num, & vanæ observantiæ exempla verbis, seu orationibus ad sanandum adhibitis; tamen negari non potest, Ecclesiasticas benedictiones, & Exorcismorum verba ab Ecclesia approbata, & à sanctis viris adhibita, divina favente ope, virtutem mirabilia operandi, & sanitates concedendi habere, ut pluribus exemplis demonstrat P. Bagata in Admirand. Orbis Christiani tom. 1. lib. 6. cap. 5. à num. 17. & seqq. ubi verba in parvis schædulis conscripta instar ferri ponderosa fuerunt. Idem de S. Antonio Archiep. Flor. narrat P. Menochius nelle Suore part. 1. cent. 2. cap. 72. Pariter P. Bagata tom. 2. lib. 5. cap. 4. §. 2. ubi plurimi Exorcismi miraculosi. Herbis autem, & lapidibus plures insitas a Deo esse virtutes, potissimum ad hominum sanitatem, præter Discorid. Mattheol. & Castorem Durantem testantur plures tum antiqui, tum moderni scriptores, quos refert Gasp. Scottus Soc. Jesu in sua Physica Curiosa lib. 4. cap. 15. per totum, & P. Bagata d. tom. 1. lib. 5. cap. 1. ubi de lapidibus admiranda varia, & lib. 7. cap. 2. ubi de herbis, & floribus medica virtute præditis. Tertiò virtutis nomen indicat potestatem faciendi miracula; juxta illud Luc. 6. Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Quarta demonstrat rei energiam ad aliquid faciendum modo quodam singulari. Sap. 7. Dedit mihi scientiam, ut sciam virtutes elementorum &c. Et virtutes radicem. Quintò continet artem, studium, vel professionem, juxta parabolam decem talentorum, quæ data sunt Unicuique secundum propriam virtutem. Matth. 25. Sextò fert nomen Angelorum primi ordinis secundæ Hierarchiæ. Rom. 8. Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes. Septimò innuit donum aliquod supernaturale à Deo datum, seu infusum Act. 1. Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos. Octavò hoc nomen Virtus significat honorem, seu dignitatem. Apoc. 5. 12. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere Virtutem, & divinitatem. Nonò idem est Virtus, ac perfectio, seu præstantia. Psalm. 29. Præstitisti decori meo virtutem. Decimò hoc nomen Virtus significat Virtutes tum Theologales, tum Cardinales, seu Morales, tam infusas, quam acquisitas, ut eruditè explicat Eminentiss. Cardin. de Lauræa in 3. l. sentent. tom. 2. de Virtutibus in genere disput. 1. art. 1. Quarum virtutum tum naturalium, tum supernaturalium in genere definitio fuit requisita.

Igitur Philosophi Doctores dixerunt ex Aristot. 2. Ethic. cap. 6. quod Virtus sit, quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit. Quam definitionem explicat ibidem Sylvest. Maur. Societ. Jesu in suis commentar. tom. 2. Humanarum Literarum Professores ex lib. 3. Phil. Mor. Emanuelis Thesauri, definierunt Virtutem, quod sit, Ne quid nimis, Ne quid parum. Vel quod, Nec citra, nec ultra: vel, Quod decet, & quod licet. Vel, quod sit Mediocritas à ratione præscripta. Canonistæ dixerunt: Virtutem esse habitum mentis bene constituta. Ex Gloss. in cap. de pudicitia. 32. quest. 5. & ex Loterio de Re benef. lib. 2. quest. 50. num. 96. Theologi Thomistæ ex Mag. sent. 2. dist. 27. & ex S. Thom. 1. 2. quest. 55. art. 4. voluerunt, Virtutem esse bonam qualitatem mentis, quæ rectè vivitur, quæ nullus male vitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Et eam explicat, & tuetur Gonet. in Olyp. Theol. Thomist. tom. 3. tract. 4. disput. 1. num. 37. Scotistæ tandem ex Scoto in 3. sent. d. 26. quest. unic. sub H. §. ad secundum licet dicatur, sic voluerunt definitam virtutem, ut scilicet sit Habitus ele-

Servus in mediocritate consistens, quoad nos ratione terminata, & ut sapiens terminavit, & desumpta est ex Aristot. d. lib. 1. Ethic. cap. 6. num. 8. eamque amplectitur, & declarat Eminentiss. Cardin. de Lauræa dict. tom. 2. disput. 1. num. 61. & disput. 2. num. 2.

- 5 Quoad secundam partem Quæriti, Quæ requirantur, ut opus aliquod sit Virtuosum? omnes dixerunt, requiri, quod opus consistat in mediocritate, seu medio; ita ut æqualiter distet ab excessu, & a defectu ut docet Aristot. dict. lib. 2. Ethic. cap. 5. & 6. & ibi P. Maurus. Excessus enim, & defectus in actione sunt vitia: mediocritas autem, & medium est Virtus. Cumque in omni re medium sit duplex, unum rei, & aliud rationis; ad faciendum opus Virtuosum opus est operari cum medio rationis, illo nempe, quod sit proportionatum ipsi operanti; ut eruditè declarando probat, & probando declarat Emin. Cardin. de Lauræa dict. tom. 2. disput. 2. art. 1. per totum, ubi exempla, auctoritates sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & Philosophorum; ex quibus desumitur, electionem mediocritatis, seu medii supradicti propriè spectare ad Prudentiam, de qua in casu prudentiali mensis sequentis, videlicet Decis. 83.

DECISIO LXXXI.

ARGUMENTUM.

Differitur, an ficti pauperes possint retinere sibi eleemosynas datas? Refertur lepida Historia de duobus Cæcis multam pecuniam habentibus tempore S. Antonini.

SUMMARIUM.

1. Pauper fictus an debeat restituere eleemosynas? & num. 4.
2. Servus malus an lucratur salarium?
3. Eleemosyna magna retineri non potest à paupere ficto.
5. Donationum, ac contractuum differentia.
6. Eleemosyna à non paupere accepta cui restituenda?
7. Historia lepida de duobus cæcis multam pecuniam habentibus.
8. Piger pauper an eleemosynas retineat?

An pauper fictus teneatur restituere acceptas eleemosynas?

Ad hoc quæsitum alii negarunt, alii affirmarunt, alii distinxerunt.

- 1 Negarunt primi, quod sint restituendæ eleemosynæ à ficto paupere, ea ratione, quia causa finalis dantis eleemosynam est charitas Dei, impulsiva verò est supposita paupertas. Sed quando subsistit finalis causa, translatio domini non impeditur, licet impulsiva sit falsa. Ita Sotus de Justit. & Jur. lib. 9. quæst. 7. prope fin. ubi dat exemplum de famulo conducto, & ut serviat, eò quia credebatur bonus, qui licet non sit talis, acquirit dominium mercedis, dummodò serviat. Cum Soto, & aliis plurib. DD. tenet Pasqualig. centur. 4. quæst. 392. nec dissentire videtur Tamburgin. [et si pauperem fictum à peccato non excuset] lib. 8. in Decal. tract. 4. cap. 1. §. 1. num. 3. in fine. ubi aliam rationem subdit quia facta per errorem non retractantur, quando subest causa pietatis.

Affirmarunt alii, faciendam esse restitutionem,

tum quia nemini sua fraus, & dolus debet patrocinari. cap. de literis, de dol. & cont. tum quia dans censetur dare eleemosynam sub conditione, si vera sit paupertas, ad eam sublevandam; at ea deficiente deficit consensus dantis, qui involuntarius redditur ex Aristot. Ethic. 4. cap. 1. Ita ex Vasquez opusc. de Eleemos. cap. 3. dub. ultim. & de Restit. cap. 7. dub. 10. num. 93. ac ex aliis Diana part. 5. tract. 8. resp. 21. Quæ in Coordinato est tom. 4. tract. 7. ref. 56. & part. 8. tract. 6. ref. 109. Quæ pariter in Coordinato est tom. 6. tract. 7. resol. 125.

Distinxerunt alii. Si eleemosyna fuit in modica quantitate, prima sententia est tenenda, quia dans censetur dedisse absolute pro Christi amore. At si fuit in magna quantitate, secunda opinio habebit locum, nam donans involuntariè, & invitus donavit. Granad. apud Tamburgin. in Decalog. ubi supra. Busembaum lib. 3. tract. 5. de 7. Præ. cap. 2. num. 10. Rebell. de Obl. Just. lib. 18. quæst. 17. num. 2. & Bonacina aliis alleg. tom. 2. de Contract. disput. 3. quæst. 1. p. 2. §. 2. num. 9. & 10.

In hoc Quæsito tenendum, quod fictus pauper ultra peccatum [vel grave, vel leve juxta quantitatem eleemosynæ acceptæ] teneatur ad restitutionem, ut in terminis docent Emin. Card. de Lugo Resp. Mor. lib. 6. dub. 17. & tom. 2. de Just. & Jur. disput. 21. sect. 7. n. 69. & 89. ubi probat, donationes gratuitas in hoc differre à contractibus onerosis, quod in donatione dolus, etiam si non versetur circa substantiam, sed solum circa motivum donandi, vitiet donationem; ex qua doctrina deducit, fictionem paupertatis dolosè factam ad extorquendam eleemosynam impedire translationem domini; cum motivum dandi eleemosynam huic pauperi sit ejus paupertas, qua deficiente deficit etiam voluntas dantis, & ob dantis involuntarium insurgit obligatio restituendi. Scotus in 4. sent. d. 15. quæst. 2. art. 3. Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 18. num. 17. & 24. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa in 3. sent. tom. 2. disput. 23. num. 59. & 60.

Distinctio autem antedicta de eleemosyna modicæ, vel magnæ quantitatis valet ad demonstrandum, cui sit facienda restitutio? Nam eleemosyna magnæ summæ est restituenda ipsi danti, minimam verò pauperibus dare sufficit; non ex eo, quod dominus abdicaverit à se dominium, sed quia non præsumitur invitus, ut egenis detur. Vasquez d. Opusc. de Eleemosyna cap. 3. dub. ultim. num. 24. Diana Coordinatus d. tom. 6. tract. 7. resol. 125. num. 3. & Cardin. de Lugo d. lib. 5. Respons. Moral. dub. 17. num. 1. His confert lepida Historia duorum cæcorum, habentium quingentos aureos repositos in capulis, quas Civis pauperissimus Florentinus summo manè orans in Januis Ecclesiæ ab eis abstulit, sed re delata ad S. Antoninum Archiep. Florent. cæcos ascitos reprehendit, tantam summam pecuniæ ex eleemosynis coacervantes, & iisdem quinquaginta quinque aureos dedit, & reliquum pecuniæ dicto Civi adjudicavit tanquam verè pauperi, ut refert P. Menoch. Nelle Struore part. 1. Centuria 2. cap. 72. his sequentibus verbis.

Un Cittadino Fiorentino si trovava avere alquante Figlie grandi già, e dà marito; e questi per consiglio di S. Antonino andava spesso alla devotissima Chiesa dell' Annunziata, & ivi pregava la Santissima Vergine di qual-